



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dies Festos Per Annum

Höger, Franz

Ingolstadij, 1726

VD18 90197097


Festum S. Josephi Nutritij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53072)

na fir, *Vide supra Part. 1. Dom. Quinquages. Thes. 9.*

Successo.

THESIS X. *Statuerunt duos. Act. 1. v. 23.* Ecce duo pro uno, ita nihil Deo decedit nostra defectione. I. Sic Homines obrinuerunt locum in caelo, à quo defecerunt Angeli. II. Sic Gentiles acceperunt locum pro Judæis. III. Sic Indiani Idololatæ intraverunt in veram Ecclesiam, à qua exierunt Hæretici. Frustra: Locum Cain fratris sui accipit Seth filius Adam, locum Saulis accipit David; locum Vasthi accipit Esther; locum Judæ Mathias.



FESTUM S. JOSEPHI Nutritij.

Dignitas.

THESIS I. *Joseph autem Vir ejus. Matth. 1. v. 19.* I. S. Josephus cum æterno Patre Titulum Patris participatur: qui cum eo Paternam dignitatem, singularitatem, charitatem dividit. II. Cum Spiritu Sancto Dignitatem Sponsi: Nam ambo Sponsæ Virginitatem

tem colunt, sibi Christum arrogant, Matrem & Filium sollicitè curant. III. Cum MARIA *Authoritatem & imperium* in Christum; quia est æterni Patris Vicarius institutus, locò Spiritus Sancti substitutus, Sponsus Virginis constitutus. *Vivien in Tertull. Prædic. verbo Festivitat. Sacra.* Huc quadrat: *Nemo natus est in terra sicut Joseph. Eccl. 49.*

THESIS II. *Joseph autem Vir* ^{Excellentia.} *ejus.* *Matth. 1. v. 19.* S. Josephi excellentia consideratur I. *Ex Statu MARIÆ Ante Conjugium*, tantæ Virginis præ omnibus electus Sponsus. II. *In Conjugio*, cohabitando, & fruendo illius amabilissimâ præsentia. III. *Post Conjugium*, quia postquam ipsi adstiterit in morte, patrocinata est illi apud Deum pro augmento illius gloriæ in terris.

THESIS III. *Cui Nomen erat* ^{Laus.} *Joseph.* *Luc. 1. v. 27.* Quàm longè melius in S. Josephum cadunt illa e-logia, quibus S. Hieronymus Angelum Bethlemiticum ornat l. 2. ep 3. ad Sabirian. I. *Ille Cubiculi MARIÆ Fa-miliar.* II. *Cunarum Christi Custos.* III. *Infantis Christi Gerulus.* Quæ omnia
B 4 mnia

omnia officia sanctissimè præstitit no-
ster Josephus.

THESIS IV. *Accipe Puerum.* Matth.
2. v. 13. Tres leguntur Dominum
portasse I. Virgo in Utero. II. Si-
meon in Ulnis. III. Joseph in Hume-
ris. *Petrus Blessens. serm. 9. de Purific.*

Tribula-
tio.

THESIS V. *Cùm esset Justus.*
Matth. 1. v. 19. Ideò necesse erat, ut
tentatio probaret eum. Ita quoque S.
Chrysostomus: Tum ex adversis, tum
ex prosperis Justorum vitam, quali ad-
mirabili varietate contexit (Deus,)
quod hìc quoque eum fecisse considera;
videndo quippe Sanctus Joseph gravio-
dam Virginem &c. *Vide sis in Brevia-
rio in Octav. SS. Innocent. Noctur. 3.*

Invocatio
S. Josephi.

THESIS VI. *Ipsam solum habet*
Mater sua, Pater verò tenerè diligit eum.
Gen. 44. v. 20. Ex quo inferas, si
quis velit parvulum JESUM habere, eò-
que deliciosè frui, à Matre MARIA,
& à Patre Josepho illum petat, & obti-
neat, necesse esse.

LAUS.

THESIS VII. *Glorificate, & portate*
te Deum. 1. Cor. 6. v. 20. Tripli-
ci modo S. Joseph portavit Christum.
I. Cor-

I. Corporaliter. Accipe Puerum . . .
& vade in terram Israël. II. Morali-
ter, quia Christum aluit, Christusque
potuit dicere ipsi: In te projectus sum
ex utero, de ventre Matris meæ. III.
Spiritualiter, quia Christo simillimus
castitate, obedientia cœca, & perpetua.
*Vide Fullonium in lib. Machab. in Indice
Concion. fol. 69. col. 1.*

THESIS VIII. *Joseph autem Vir* ^{Officium}
ejus. Matth. I. v. 19. Deus S. Jo- ^{S. Josephi}
sephum constituit I. Matris suæ Sola-
tium. II. Suæ Carnis Nutritium. III.
Denique in terris Magni consilij Coad-
jutorem fidelissimum. *S. Bern. hom. su-
per Missus est.*

THESIS IX. *Joseph Fili David.* *Laus.*
Matth. I. v. 20. Sicut Laus MARIÆ
est laus Christi Filij sui, ita laus Joseph
in præconium redundat utriusque JE-
SU & MARIÆ. *Gerfon in serm. de Na-
tiv. B. V.*

THESIS X. *Cum esset desponsata Nuptia.*
Mater ejus MARIA Joseph. Matth. I. v.
18. Omne Nuptiarum Bonum im-
plerum est in Joseph & MARIA pa-
rentibus Christi. I. Proles: Prolem
B 5 enim

enim cognoscimus ipsum Dominum
JESUM, cujus Pater Puratitius exciit.
II. *Fidem*: quia nullam adulterium
III. *Sacramentum*: quia nullum divor-
cium, *S. Aug. l. 1. de Nuptijs c. 11.*

Gratiosus
apud Deū.

THESIS XI. *Israël diligebat Jo-
seph super omnes Filios suos. Gen. 37. v.*
3. Favorem, & amorem, quo Deus
Amicos suos prosequitur, eorumque
magnitudinem, juxta Scripturam, ex
triplici genere Beneficiorum, quæ ipsis
communicat, desumimus ac metimur.
I. Ex altitudine honorum, quæ eos ex-
tollit: Quis quæso majorem honorem
adeptus est Sanctorum, quàm S. Joseph?
II. Ex præstantia virtutum, quibus
illos replet: Quis majoribus virtuti-
bus claruit S. Josepho? III. Ex magni-
tudine tentationum, quibus illos pro-
bat: Nemo aliorum magis vexatus, &
durè tentatus fuit S. Josepho. O mi-
randa prorsus Joseph sublimitas tua! O
dignitas incomparabilis, ut Mater Dei,
Regina Coeli, Mundi Domina te Domi-
num non indignum putaverit. *Gerson
serm. de Nativ. B. V. In Josepho appa-
ruit non parva Divinitas S. Aug. serm.*
25.

25. de Divers. Nicolaus de Dijon Capuc.
desinit. Generalis sui Ord. hic.


THESIS XII. *Qui ignorabat Joseph. Cultus.*
Exod. I. v. 8. Admirare vitam absconditam S. Joseph. I. Incognitus erat in vita sua Mortali. II. Incognitus erat in vita Gratiae. III. Incognitus Mundo quoad vitam Gloriam. Cùm devotio erga hunc Sanctum primis temporibus non ita conspicua exstitit, reservata posterioribus Sæculis. Ignorabant ergo Joseph, vel saltem non ita observabant priora Sæcula.

THESIS XIII. *Cùm esset desponsata Mater ejus MARIA Joseph. Beneficia.*
Sancto Josepho gratiae agenda; I. Quòd per ipsum B. V. non sit lapidata. II. Quòd Christum immaturæ morti subtraxerit. III. Quòd Christo in summis necessitatibus servierit, & de victu providerit. Quid perat jam Josephus à Christo, & MARIA, & non obrineat?

THESIS XIV. *Joseph autem Vir ejus.* Matth. I. v. 19. Sanctus Joseph exciit I. Angelus Custos Reginae Cœli. II. Defensor Vitæ, Honoris, & Puritatis ejus.

THE-

Dignitas. THESIS XV. *Pater tuus & ego.*
 Luc. 2. v. 48. Infans JESUS pertinet
 ad Josephum. I. Jure Educationis. II.
 Vinculo Matrimonij cum MARIA.
 III. Ex Autoritate super Conjugem.
 IV. Titulo Redemptionis in templo,
 nutritionis, & procurationis necessario-
 rum opere manuum suarum, ac labo-
 re.



FESTUM
 ANNUNCIAT.
 B. V. MARIE.

*Partus
 Virginis.* THESIS I. *Ecce concipies in utero
 & paries Filium.* Luc. 1. v. 31.
 I. Si contingat Deum nasci, decebat, ut
 nascatur ex Virgine. II. Si decebat
 Virgo parere, decebat, ut Deum pareret.
 Deum enim hujusmodi decebat Nati-
 vitas, ut non nisi de Virgine nascere-
 tur: talis congruebat & Virgini Pat-
 rus, ut non pareret, nisi Deum. S.
 Bern. serm. 2. Super Missus.

THE.